

clusio peccati intrinsece maculantis animam. Nec potest tolli per extrinsecum, et moralem respectum, sicut tenebræ tolli non possunt per respectum extrinsecum, sine informatione lucis.

XX. Secundo, excluditur ista sententia, quia sanctificatio vera, quando non fit a propria forma, sed a forma superiori eminenti, debet supplere effectum, quem dat propria, et connaturalis forma, alioquin si illum non supplet, non potest dici subjectum vere informatum tali forma; et consequenter, neque illa forma vere informare, et præbere effectum suum. Si ergo deitas solum per denominationem extrinsecam sanctificat, anima non dicitur vere sanctificata: ergo neque deitas vere sanctificat. Sequela probatur, quia per gratiam habitualem dicitur anima vere, et physice sanctificata intrinsece; ergo illa forma, quæ solum extrinsece, et moraliter sanctificat, non supplet in anima illum effectum realis sanctificationis; et consequenter per illam formam non dicitur realiter sanctificata anima, nec realiter elevatur ad ordinem supernaturalem, nec realiter habere filiationem divinam, sed solum per denominationem extrinsecam. Atque adeo sanctificatio per unionem hypostaticam esset longe inferior ad sanctificationem gratiæ habitualis, quia non daret effectum realem, et intrinsecum sanctificationis, sed solum per denominationem extrinsecam, quod est non dare illum. Quando enim effectus aliquis de se intrinsecus est, sicut esse album, esse lucidum, etc. si solum extrinsece præbeatur ab aliqua forma, vere non præbetur. Sicut non esset vere subsistens humanitas per Verbum, si intrinsece non subsisteret; ly autem sanctum importat realem, et intrinsecum effectum in anima; ergo si præbetur, solum extrinsece

a deitate, vere non præbetur, sed manet anima illa æquivoce sancta, scilicet, sanctitate denominationis rationis, et extrinsece; non vere, et proprie.

XXI. Secunda autem pars conclusionis affirmativa est, ad explicandum quomodo ista sanctificatio a personalitate Verbi sit, sine hoc quod ponamus plures sanctitates relativas, sed solum unam absolutam in Deo (qui est totus punctus difficultatis) et sine hoc quod ponamus divinitatem, aut aliquod attributum absolutum formaliter communicari. Igitur dicimus, quod Persona divina relativa sanctificat realiter, et intrinsece humanitati multo eminentiori modo, quam gratia conjungens animam Deo. Explico hoc ex doctrina S. Thomæ supra citata opusculo secundo, ubi explicans quomodo sanctificetur anima Christi per hanc hypostaticam unionem, et fiat Deo grata, inquit: « Hoc interesse videtur inter utramque gratiam, quod gratia quidem per quam unitur homo per affectum, aliquid habituale existit in anima, quia cum per actum amoris sit conjunctio ista, actus autem perfecti procedunt ab habitu, consequens est, ut ad istum perfectissimum actum, quo anima Deo conjungitur per amorem, aliqua habitualis gratia animæ infundatur. Esse autem personale, vel hypostaticum non est per aliquem habitum, sed per naturas, quarum sunt hypostases, vel Personæ. Unio igitur naturæ humanæ ad Deum in unitate Personæ non fit per aliquam habitualem gratiam, sed per ipsarum naturarum conjunctionem in Persona una. » Idem vide in S. Thomæ lect. viii, super caput primum Joannis ad illa verba: *Plenum gratiæ.*

XXII. Ecce quomodo S. Thomas explicat modum, quo gratia habitualis sanctificat, scilicet, conjun-

gendo nos Deo. Similiter docet divinam Personam sanctificare, quatenus conjungit naturam humanam Deo in unitate Personæ, et sit naturarum conjunctio in Persona una.

XXIII. Itaque sicut gratia habitualis non sanctificat nos præcise, quia entitas inhærens est, sed quatenus conjungit nos Deo, et facit consortes divinæ naturæ, ita quod illa entitas gratiæ, si a Deo poneretur inhærens in lapide non redderet illum sanctum, quia non redderet conjunctum Deo per modum affectivum; ita personalitas divina relativa, non quatenus facit præcise subsistere naturam humanam, sed quatenus facit eam conjunctam Deo substantialiter (non sicut faceret subsistere lapidem si illi uniretur) sed conjunctam Deo in ordine ad operandum recte operationes humanas reddit illam humanitatem sanctam. Et sicut gratia conjungens nos Deo formaliter reddit nos sanctos, non autem Deus cui nos conjungit, ita personalitas conjungens naturam humanam divinæ, formaliter reddit sanctam humanitatem, non autem divinitas, cui conjungit. Et sic verificamus verba S. Thomæ, quod per conjunctionem duarum naturarum fit hæc unio, seu conjunctio, et consequenter sanctificatio.

XXIV. Fundamentum hujus est ex ipsa intima, et quidditativa ratione sanctificandi, quæ consistit in conjunctione naturæ rationalis ad Deum, ordinata ad operandum recte; sic enim convenienter explicant theologi modum sanctificationis gratiæ habitualis, et sic elicitur ex illo II Petri I: *Ut efficiamini divinæ consortes naturæ.* Per consortium enim divinæ naturæ, seu conjunctionem, et participationem divinæ naturæ formaliter sanctificatur homo; ergo in tantum Persona divina dicitur sanctificare hominem, qua-

tenus reddit illum conjunctum, et consortem divinæ naturæ, non quidem participative, sed substantialiter faciens concursum utrique naturæ in eodem supposito, et unitate Personæ. Constat autem, quod conjunctio humanæ naturæ ad divinam, seu humanitatis ad Deum, fit mediante supposito, tamquam eo in quo fit unio duarum naturarum, sicut docet S. Thomas supra quæstione II, articulo IX, ubi inquirens, an unio duarum naturarum in Christo sit maxima, dicit esse maximam, ratione ejus in quo uniuntur, scilicet, ratione suppositi, in quo utraque natura conjungitur. Cum ergo Persona sit id, in quo natura divina unitur humanitati, et talis Persona realiter uniatur naturæ, et intrinsece, non informando, sed terminando, consequenter realiter, et intrinsece unitur humanitati id quod est ratio, et medium jungendi, et communicandi naturam divinam animæ, quod est exercere officium formæ sanctificantis. Neque enim aliter gratia sanctificat, quam quia conjungit nos Deo, et facit in nobis participationem divinitatis accidentaliter. Persona autem divina substantialiter facit animam conjunctam ipsi divinitati, et sic non divinitas, sed personalitas sanctificat tamquam ratio conjungens divinitatem termino.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXV. Ex qua doctrina facile solvuntur argumenta, et difficultates, quæ contra hanc resolutionem fieri possunt. Nam primo, arguit Asturicensis, quod gratitudo formalis est effectus formalis, et primus habitualis gratiæ; ergo ex vi solius hypostaticæ unionis non potest Christus esse gratus gratitudine formali. Consequentia patet, quia effectus

formalis alicujus formæ non est ab ea separabilis; et idem est habere effectum formalem alicujus formæ, et habere ipsam formam: ergo si gratitudo formalis est primus effectus formalis gratiæ non potest separari a gratia.

XXVI. Nec dici potest, suppleri hunc effectum formalem gratiæ per formam altiore, quæ eminenter illam continet, scilicet per gratiam unionis, quia sequeretur, quod per eandem unionis gratiam sine sic lumine gloriæ a visione beatifica potest dici homo formaliter beatus, sicut formaliter dicitur sanctus, supplente gratia unionis illum effectum formalem sanctitatis creatæ, quod est falsissimum.

XXVII. Et si dicatur, quod sanctitas non consistit in actu vitali, sicut beatitudo formalis, sed in habituali informatione, ac proinde ista suppleri potest per illam altiore formam, non vero beatitudo, contra adhuc est, quia sequeretur, quod si Verbum assumeret naturam leonis, leo formaliter, et simpliciter esset Deo gratus, quia unio hypostatica in leone esset ejusdem rationis cum unione in natura hominis; et idem esse divinum acciperet utraque natura, eandemque informationem, seu terminationem; ergo seclusis actibus, et habitibus per præcisam hypostaticam unionem, tam sancta diceretur natura leonis, sicut nunc humanitas.

XXVIII. Et adhuc confirmatur, quia Verbum divinum habet puram rationem termini facientis subsistere humanitatem, nec aliquo modo rationem formæ immutantis intrinsece animam, aut principia effectiva in ipsa supplet; ergo nullo modo potest illam reddere formaliter sanctam. Antecedens patet, quia Verbum nullo modo habet rationem principii, quo in anima respectu actionum ejus, sed tantum princi-

pii quod; ergo nullo modo immutat illam per modum formæ, sed per modum termini subsistentis. Consequentia patet, quia sanctificatio est dispositio habitualis animæ, et potentiarum ejus in ordine ad recte operandum; alioquin si non daret sanctitas principium recte operandi, non erit ratio cur natura irrationalis non diceretur sancta ex unione ad Verbum: sed Verbum nullo modo immutare potest animam, aut potentias ejus in ratione dispositionis habitualis, aut intrinsece informanti; ergo non potest supplere effectum formalem sanctificationis gratiæ.

XXIX. Ad hoc argumentum est fere eadem responsio. Fatemur enim, quod effectus formalis primarius formæ suppleri non potest per aliam formam, eo modo quo a tali forma procedit; et sic effectus formalis gratiæ est gratitudo formalis, non quomodocumque, sed formalis accidentalis. Gratitudo autem formalis substantialis, seu personalis ab alia forma provenire potest, et est distinctus effectus formalis, quia eminentior gratitudo est, sicut vegetativum hominis, et plantæ distincti effectus formales sunt.

XXX. Ad replicam primam contra hanc solutionem bene responsum est, quod beatitudo consistit in actione; sanctificatio autem in conjunctione ad Deum; actio autem non potest communicari alicui nisi ab illo procedat, ut a principio elicente, præsertim si sit actio vitalis, ideoque per gratiam unionis suppleri non potest actio visionis beatæ. At vero conjunctio ad Deum non est necesse, quod fiat formaliter per habitum, sed multo melius fieri potest per personam.

XXXI. Ad secundam replicam Nazarius concedit naturam leonis, si assumeretur a Verbo, dicendam esse simpliciter sanctam, et gratam

sanctitate personali. Existimo tamen id non esse concedendum, ut non concedit, Asturicensis, quia sicut personalitas Verbi non redderet leonem personam, sed suppositum, quia persona solum dicitur de natura rationali; et si assumeret lapidem non diceretur lapis filius, quia non est capax filiationis, licet Persona illa esset Filius Dei; ita non redderet illam naturam sanctam, quia non est capax sanctitatis, eo quod sanctitas solum invenitur in natura rationali, in qua operationes sunt morales, et liberæ, regulabiles per rationem: quod autem non est liberum, non est sanctum, sanctitate de qua loquimur, rectificante naturam ad Deum. Et ideo dico, quod licet illa natura leonis esset Deo conjuncta conjunctione suppositali, non tamen conjunctione, quæ requiritur ad sanctitatem, quæ est conjunctio fundans rectificationem, et regulationem ad Deum in operationibus suis; quarum natura non est radix, et ideo illius capax non est natura leonina.

XXXII. Ad confirmationem respondetur distinguendo consequens; nullo modo potest reddere humanitatem sanctam sanctitate habituali, et accidentali, concedo; sanctitate personali, et substantiali, nego. Hæc autem sanctitas, licet non immutet potentias, aut naturam per modum dispositionis, aut principii formalis, immutat tamen per modum principii personalis, per quod non radicaliter, sed formaliter facit conjunctionem ad Deum, in quo salvatur formalis sanctificatio. Itaque formalis sanctitas non consistit in sanctificatione per modum principii formalis, sed in conjunctione formali ad Deum, sive illa fiat per principium personale quod, terminans humanitatem, sive per habitalem dispositionem, et principium quo, informans naturam.

XXXIII. Secundo, objicies ex Vazquez, quod patres dicunt humanitatem fuisse deificatam, et sic sanctificatam ipsa deitate; ergo deitas est forma sanctificans; et cum ista sanctificatio sit infinita, oportet quod ejus forma sit infinita, et consequenter non ipsa unio creata, sed ipsa deitas. Sed hoc nihil probat. Concedimus enim deitatem sanctificare naturam humanam media personalitate, non per seipsam ut formam, nec patres loquuntur de deitate præscindendo a personalitate. Concedimus etiam unionem creatam non esse formam sanctificantem, quia (ut diximus supra in materia de incarnatione) modus unionis non est forma; sed applicatio, et conjunctio formæ ad id, quod informatur, et ita unio non dicit formaliter sanctificationem infinitam, sed applicat formam infinitam, quæ sanctificat humanitatem.

XXXIV. Tertio objicies: Humanitas non habet sanctificationem infinitam ex vi unionis; ergo neque formam sanctificantem infinitam; et consequenter deitas non sanctificat formaliter, neque personalitas. Consequentia patet, quia si personalitas, aut deitas formaliter sanctificaret humanitatem, redderet illam infinite sanctam formaliter, sicut redderet illam deificatam: sicut si posset communicari immensitas, aut omnipotentia formaliter humanitati, redderent illam omnipotentem, et immensam, quod est esse potentem infinite. Antecedens vero probatur, quia etiam ex vi unionis, et ut subest illi formæ sanctificanti, Deus non diligit illam humanitatem infinite, quia non diligit illam æque ac seipsum; alias diligeret illam necessario amore, et non libero; ergo non est illa humanitas infinite sancta formaliter, etiam ut subest gratiæ unionis, quia sanetum for-

maliter est idem, quod gratum Deo; quod autem est gratum Deo diligitur ab eo, et placet illi; ergo si esset infinite sancta, esset infinite grata, et dilecta.

XXXV. Confirmatur, quia illa sanctificatio non fit per formam intrinsece informantem animam, cum divinitas non possit esse forma informans, sed solum terminantem per modum principii quod; hoc autem non potest intrinsece sanctificare animam, quia peccatum inest animæ per modum formæ privativæ intrinsece inhærentis; ergo nisi superveniat forma aliqua intrinsece informans, non potest destruere illam privationem. Sicut si esset homo cæcus, non posset illa cæcitas tolli nisi per potentiam visivam informantem, non autem per aliquam formam terminantem per modum principii quod: ergo illa sanctificatio proveniens a personalitate est solum extrinseca, et secundum extrinsecam denominationem.

XXXVI. Respondetur argumentum convincere, quod humanitas per gratiam unionis non redditur sancta modo infinito; non tamen quod per ipsam formam, seu personalitatem infinitam non reddatur sancta immediate, et formaliter, modo finito, sicut formaliter redditur subsistens, et existens persubsistentiam, et existentiam divinam, sed non infinito modo subsistens. Ita in ratione speciei unitur essentia formaliter intellectui beatorum, non tamen modo infinito, sed finito; et omnipotentia, et immensitas, si formaliter posset communicari, non sequeretur quod modo infinito communicaretur. Unde non ex hac parte implicat communicari, sed ideo implicat, quia informaret non terminando, sed informando.

XXXVII. Ad confirmationem concedo sanctificationem illam non

fieri intrinsece informando per modum formæ informantis, quod imperfectionem involvit, sed intrinsece terminando, et immediate, ac formaliter, scilicet formaliter terminative, sicut redditur formaliter existens, et subsistens humanitas, et intellectus beati formaliter actus per speciem. Et nego hoc non sufficere, ut anima intrinsece, et realiter sanctificetur, quia privatio, quam tollit sanctitas non est privatio alicujus partis, aut accidentis cujuscumque, sed est privatio deordinans totum suppositum, et avergens illud a fine, sicut gratia totum suppositum ordinat ad Deum, et convertit: unde et unus ex effectibus ejus est filiatio adoptiva, quæ est propria suppositi, seu Personæ. Privatio ergo deordinans totum suppositum, non solum potest tolli per formam sibi immediate oppositam, et informantem, sed per formam eminenter operantem, et terminantem naturam, ordinantemque totum suppositum ad Deum, multo melius, quam habitualis gratia. Unde non est simile de privatione cæcitatæ, quæ non est privatio deordinativa totius suppositi, sed solum unius partis, et particularis accidentis.

XXXVIII. Quarto arguitur: Nam impossibile est, quod sanctificetur formaliter humanitas sine forma sanctificante; hæc autem non potest esse unio humanitatis ad Verbum; neque ipsa personalitas per se immediate; neque ipsa divinitas ut distinguuntur a personalitate; ergo non datur talis sanctificatio formalis, et immediata per gratiam unionis. Consequentia est bona a bona enumeratione partium. Antecedens probatur, nam de unione videtur certum esse, quia unio illa non est forma sanctificans, sed solum applicans, seu uniens formam sanctificantem. Unio enim solum habet

pro effectu formali reddere unitum; etenim non est aliud quam copulatio, quæ nullo modo est forma sanctificans, et si sit modus substantialis, est tamen quid creatum, et consequenter non potest formaliter deificare, et dare infinitam sanctitatem, et filiationem naturalem: id enim non potest præstari ab aliqua forma, seu modo creato: ergo non potest unio esse ipsa forma sanctificans.

XXXIX. Similiter neque personalitas per se immediate sanctificare potest, quia personalitas relativa non sanctificat ipsam deitatem, nec dat illi aliquam sanctitatem, quia sanctitas in Deo est perfectio communis omnibus Personis; ergo neque illam formaliter potest dare creatæ naturæ.

XL. Et præterea, vel sanctificat humanitatem ratione alicujus communis omnibus Personis, vel ratione proprietatis relativæ, et in eo, in quo distinguitur ab aliis Personis. Primum dici non potest, nam licet verum sit, quod existentia, quæ est communis, et pertinet ad essentiam, communicatur mediante personalitate naturæ creatæ, tamen ideo est quia existentia est actus proprius subsistentiæ, et nequit subsistentia communicari naturæ, nisi etiam existentia mediate communicetur. At vero sanctitas est attributum absolutum, quia non convenit Deo ratione alicujus actus notionalis, sed ex ipsa ratione actus puri, quia sanctitas idem est, quod puritas, et segregatio a defectu, et imperfectione, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. LXXXI, articulo VIII, quod totum convenit Deo in quantum est actus purus.

XLI. Et deinde, quia sanctitas creata est perfectio absoluta, ut patet in gratia, quæ reddit hominem sanctum, et absque defectu, et macula peccati; ergo et sanctitas increata,

cujus participatio est creata. Unde communicari non potest sanctitas Dei, sicut neque alia attributa absoluta, ut omnipotentia, etc. communicari non possunt ex vi unionis hypostaticæ formaliter, sed solum per communicationem idioma-tum.

XLII. Tertium etiam dici non potest, quia si sanctitas consistit in puritate, et perfectione, qua redditur objectum pulchrum, et dignum divina dilectione, impossibile est, quod multiplicetur, sicut relationes, quia ea quæ pertinent ad actualitatem, et perfectionem non multiplicantur in divinis, quia in hoc nulla est oppositio, ut in relationibus; ergo neque sanctitas multiplicatur: esset enim oppositio in ipsis sanctitatibus relativis, et non tota sanctitas, quæ est in Patre esset in Filio. Unde non esset in Patre infinita sanctitas, deesset enim aliqua, scilicet Filii; et reliqua, quæ solent fieri contra eos, qui ponunt distinctam perfectionem in unaquaque Persona.

XLIII. Ac denique essent distinctæ bonitates, quia sanctitas nihil aliud est, quam id, quod reddit objectum congruum divinæ dilectioni; id autem, quod reddit objectum diligibile, bonitas est; ergo plures bonitates relativæ erunt, et cum unaquæque illarum sit infinita, et increata, essent tres bonitates infinitæ, et tria summa bona, et non unum summum bonum, quod est absurdissimum. Denique, dici non potest, quod divinitas, remota personalitate sanctificet, quia non potest esse forma intrinseca, et communicari naturæ creatæ, sicut neque reliqua attributa absoluta (ut dictum est) extrinsece autem solum sanctificare non potest, ut contra Vazquez dictum est; ergo.

XLIV. Ad hoc argumentum respondetur formam sanctificantem,

in hoc nostro casu, non posse esse aliquid creatum, quia nihil creatum est ratio constitutiva filiationis naturalis Dei, et personalis sanctitatis: et multo minus unio, qua passive redditur humanitas assumpta, quia hæc solum est dependentia humanitatis a Persona divina, quæ non magis sanctificat, quam dependentia habitualis gratiæ ab anima. Est ergo forma sanctificans ipsa personalitas relativa Verbi, non quatenus communicat sanctitatem increatam naturæ humanæ, quæ illi omnino incommunicabilis est, nec quia datur tres sanctitates relativæ, quia relativæ personalitates non sunt objectum congruum dilectionis, nisi per bonitatem omnibus tribus communem, nec inter se oppositam; neque enim diliguntur nisi ratione bonitatis divinæ, quam habent; quælibet enim Persona divina diligitur amore necessario, secundum omnem rationem, qua diligibilis est. Tota autem ratio, qua diligibilis est, et quæ terminat amorem necessarium, est bonitas divina, quæ omnibus communis est, non autem multiplicationem, et oppositionem habet in relationibus, quia si multiplicaretur diligibilitas, qua diligitur una sanctitas relativa, et non alia, non esset tota ratio, qua diligibilis est talis Persona, si quidem diligibilis est etiam quatenus divina, et non opposita alteri; sicut ergo eadem divinitas est in omnibus, ita et eadem bonitas, et diligibilitas, et sanctitas.

XLV. Quare personalitas divina est forma sanctificans creatam naturam, non ut est in se sancta sanctitate increata præcise, sed quatenus est medium, et id in quo unitur natura humana divinitati, seu fit consortium divinæ naturæ cum humana in unitate Personæ in ordine ad bene operandum. Non ergo sanctitas ipsa, qua Deus sanctus est, vel

qua relatio sancta est, informat naturam creatam, sed personalitas ipsa habet vim sanctificandi, quatenus habet vim jungendi naturam creatam Deo ad bene operandum; et ita non est necesse ponere tres sanctitates increatas relativas, sed ponere tres personalitates conjungentes Deo, quod habent ex eo, quod sint personalitates divinæ potentes quacumque naturam Deo conjungere, et operari secundum hanc conjunctionem.

XLVI. Licet ergo Persona divina in se sancta sit sanctitate divina, et increata, quæ communis est omnibus Personis, formaliter tamen sanctificat non per informationem hujus sanctitatis, sed per ipsam Personam, quatenus trahit ad subsistendum naturam humanam, et per hanc subsistentiam facit illam consortem divinæ naturæ divinitate Personæ, non in participatione accidentali. Et hoc dicimus esse commune omnibus tribus Personis, non communitate naturæ, sed communitate Personæ, quatenus omnibus commune est posse unire sibi naturam creatam, et reddere illam consortem divinæ naturæ in unitate Personæ, et in ordine ad bene operandum, quatenus actiones suppositorum sunt, ut S. Thomas docet infra articulo XIII.

XLVII. Ad argumentum dicitur, quod personalitas divina sanctificat ratione alicujus communis omnibus Personis; communis inquam in prædicando, non in essendo, id est, ratione ipsius Personalitatis, non ut in se sancta est sanctitate increata, sed ut conjunctiva est naturæ, quam assumit ad naturam in qua subsistit secundum se, et consortium facit utriusque.

XLVIII. Et quando instatur, an sint plures sanctitates relativæ in Deo, vel una tantum absolute, dico esse unam tantum absolutam, non ta-

men per informationem, ratione cujus natura humana redditur sancta, nec per ipsam sanctitatem Personæ, ut est sancta tamquam quod, sed ut est sanctificans ut quo, scilicet, quatenus est forma faciens subsistere naturam humanam, trahendo illam ad consortium cum natura divina, et sic sanctitates in Deo non multiplicantur, quia ipse sanctus est. Sanctitates autem quibus naturam extraneam sanctificat multiplicantur, quia hoc nihil aliud est, quam ipsæ subsistentiæ relativæ, potentes conjungere naturam extraneam propriæ divinæ, et istæ subsistentiæ multiplicantur in divinis, non tamen bonitates, aut sanctitates quibus bonæ, et sanctæ dicuntur Personæ in se.

XLIX. Quod si instes: Ergo Deus non amat humanitatem sic sanctificatam tanto amore, et gratitudine, quo ipsam sanctitatem Personæ, et filiationem naturalem in se, consequens est falsum; ergo. Sequela probatur, quia sanctificatio humanitatis, non fit per ipsam Dei sanctitatem; ergo neque diligitur humanitas, ut sanctificata, sicut ipsa sanctitas Dei. Falsitas consequentis probatur, quia illa humanitas non alio modo est sancta, nec diligitur a Deo nisi quatenus ille homo, ut subsistens in humana natura, est Filius Dei naturalis. Filiatio autem Dei naturalis non suscipit magis et minus, nec minus placet Deo, aut finite est illi grata, ut subsistit in humana natura, quam ut subsistit in propria; ergo humanitatem sanctificatam filiatione naturali, non minus diligit Deus, quam sanctitatem ipsam divinam, et filiationem naturalem in se.

L. Respondetur concedendo sequelam, et negando minorem. Et ad probationem distinguendo antecedens; illa humanitas non alio modo est sancta, nisi quatenus ille ho-

mo est Filius Dei naturalis ex parte suppositi uniti, concedo antecedens; ex parte modi sanctificandi, et se communicandi, nego. Habetur enim in humanitate illa sanctificatio per unionem, non per unitatem; neque est de ratione hujus sanctificationis hypostaticæ absolute, quod ille homo sit Filius Dei naturalis, ut Pater sit Pater, aut Spiritus sanctus assumeret naturam humanam, quæ non minus sancta esset, quam humanitas assumpta a Verbo, et tamen ille homo non esset Filius Dei naturalis, sed Pater, vel Spiritus sanctus, etc.

LI. Filiatio ergo naturalis licet sit hic, et nunc Persona sanctificans, tamen ipsa sanctificatio ex parte humanitatis se tenens, non est solum filiatio naturalis, imo ipsa humanitas non est filia, sed Persona secundum S. Thomam, sed est gratitudo, quia redditur grata Deo ex conjunctione, et consortio divinitatis in Personæ unitate. Et non repugnat, quod ipsa gratitudo a personalitate proveniens secundum talem conjunctionem finito modo communicat humanitati. Filiatio autem naturalis non convenit finito modo huic homini, quia filiatio semper tenet se ex parte Personæ, et non crescit, nec suscipit magis et minus; gratitudo autem, seu puritas, quæ in conjunctione ad Deum consistit, suscipere potest magis et minus ex modo conjunctionis, sicut videmus in sanctificatione per gratiam habitualement; crescente enim gratia, et gratitudine passiva animæ, non crescit filiatio adoptiva, quia hæc non potest intendi, aut remitti.